



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Asella Virgo. 7. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

pigellus, cælo intereâ omnia alia de ipso sentiente. Cùm enim socii scire percuperent, quo loco apud Superos PAVLVS esset, abrepti animo in felicissimos priini parentis hortos, PAVLVM illic invenerunt, qui munera (fructus miros) in singulos dispertiret, simul vale omnibus diceret. Siquidem altero manè ad montem è cœnobio contendit non procul Constantinopoli situm. Ad hujus pedem cùm annos aliquot habitasset, evocatus denique à DEO, velut alter Moyses, in culmen, inde facili transitu in cælum est. *Ex Menæis.*

Felix, quem in omni confabulatione duplex timor sollicitat, primùm quidem divina Majestatis, in cujus manus incidere prorsus horrendum; dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile est offendiculum ponere. S. Bern. serm. de tripl. custod.

S. ASELLA VIRGO. 7. Decembris.

FELIX ASELLÆ pater, cui Superi filiam, prius quàm nasceretur, lympidâ crystallo clausam spectandam obtulere, ut jam tum animi castissimi sive candorem sive splendorem miraretur! Sed felicior ipsa ASELLA, quæ in primâ ætate Agno jam nupta thalamum in parentis domo cellam angustam, lectum terram, delicias cum sale panem & fontanam habuit. Atque ad has nuptias post annum ætatis duodecimum, ut mundum muliebrem non inconvenientem sibi pararet, torquem aureum, quem pro more familiæ (nobilissima erat) è collo pendulum gestabat, clam vendidit, emitque qualem à matre exorare numquam poterat, vilem & pulli coloris vestem, omnibus hâc testata jam mundo se mortuam esse. Ita deinceps unius Christi amoribus vacare, hunc lacrimis

lacrimis poscere, anhelare gemitibus, precibus orare, jejuniis cogere; domo intereà nisi ad templa, numquam pedem efferre; verbo ut genibus ita vitæ consuetudini callum obducere, jamque raro miraculo inter medias mundi turbas sola agere, & patrias ædes sibi in monasterium vertere. Constitit intereà corpusculo etsi tam malè habito suus nihilominus vigor & integra semper valetudo, ut videres non tam asperitatem vitæ, quàm delicias obesse. Obiit anno partæ salutis cccc.l. Vitæ laudatorem habuit Hieronymum; imitatore[m] quem nunc? *Ex D. Hier.*

Beati qui in Domino vigilant cum sobrietate & castitate: protegentur enim ab eo in judicii die, & ut sponsi comites atque amici cum gaudio & lætitiâ eum sequentur & aspicient. S. Ephrem in Beatitud.

S. AMBROSIIUS EP. 7. Decembris.

AMBROSII infantis osculum apes ajunt inesse, verissimos ejus eloquentiæ vates. Deprompsit sanè, cum libuit, ore suo melos, & hoc adeò ipsum Augustinum inescavit, ut qui à Manichæis venenû hucusque hauserat, ex ore deinceps AMBROSII mel legeret. Episcopum Mediolani prodigiosus præco infans proclamavit. Dicenti ad populum astare bonum Angelum ipsi hæretici viderunt & inviderunt. Inter hos multum illi negotii Arriani, plus Imperatrix Justina, latrones, magi que, plurimum dæmon malus fecit; sed incassum omnes. Majestatis Pontificiæ memor, neque majestatem Imperatoriam exhorruit. Itaque Theodosium ob cædem Thessalonicensem publicè reum non nisi post publica pœnitentis animi signa templo pedè permisit inferre, illud